

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livi Ab urbe condita libri

Buch III

Livius, Titus

Berlin, 1900

Perioche

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-2323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-2323)

T. LIVI

AB VRBE CONDITA LIBRI III PERIOCHA.

Seditiones de agrariis legibus fuere. Capitolium ab exilibus et servis occupatum caesis his receptum est. census bis actus est. priore lustro censa sunt civium capita * octo milia septingenta quattuordecim praeter orbos orbisque, sequenti centum septendecim milia ducenta undeviginti.

5 cum adversus Aequos male gesta res esset, L. Quinctius Cincinnatus dictator factus, cum rure intentus operi rustico esset, ad id bellum gerendum arcessitus est. is victos hostes sub iugum misit. tribunorum plebis numerus ampliatu est, ut essent decem, tricesimo sexto anno a primis

10 tribunis plebis. petitis per legatos et adlatis Atticis legibus ad constituendas eas proponendasque decemviri pro consulibus sine ullis aliis magistratibus creati altero et trecentesimo anno, quam Roma condita erat, et ut a regibus ad consules, ita a consulibus ad decemviros imperium translatum. hi decem tabulis legum positis cum modeste se in eo honore gessissent et ob id in alterum quoque annum eundem esse

15 magistratum placuisset, duabus tabulis ad decem adiectis cum complura inpotenter fecissent, magistratum noluerunt deponere et in tertium annum retinuerunt, donec invito eorum imperio finem adtulit libido Ap. Claudii. qui cum in amorem Virginiae virginis incidisset, summisso, qui eam in servitutem peteret, necessitatem** patri eius Virginio inposuit.

20 raptu ex taberna proxima cultro filiam occidit, cum aliter effici non posset, ne in potestatem stuprum inlatu veniret. hoc tam magnae iniuriae exemplo plebs concitata montem Aventinum occupavit coegitque decemviros abdicare se magistratu. ex quibus Appius, qui praecipuam poenam meruerat, in carcerem coniectus est; ceteri in exilium sunt

25 acti. res praeterea contra Sabinos et Vulscos prospere gestas continet et parum honestum populi Romani iudicium, qui iudex inter Ardeates et Aricinos sumptus agrum, de quo ambigebatur, sibi adiudicavit.

Abweichungen vom Text der Jahnschen Ausgabe
(Lipsiae MDCCCLIII).

3. octo] vermutlich ist VIII Schreibfehler statt CIII; s. Livius 3, 3, 9.
— 4. ducenta] dagegen Livius 3, 24, 10: trecenta. — 19. inposuit**] Lücke nach Ml. angenommen; Mg. verbindet diesen Satz mit dem Folgenden und schreibt occidendi statt occidit. — 22. iniuriae] NP; luxuriae Jahn. — 24. praecipuam] NP; praecipue Jahn.